



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Petrus Abbas. 14. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

imperandi dulcedine capta, socium regni nec filium vellet, sive quòd filii vultum jam minimè HENRICVS præ se ferret (austeram vivendi ratio deformarat) in rogum hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolorem reddidit, pulchrius inter flammam quam purpuram splendentem. Minus verò jam fidendum regno videns, in Italiam religionis causâ contendit. sed mors aliò ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. *Ex Ferrar.*

Descendamus per viam humilitatis, ponaturq; nobis primus gradus ejus, id est primus profectus, Nolle dominari: secundus, Velle subjici: Tertius, in ipsa subjectione quaslibet contumelias & injurias illatas equanimiter Pati. S. Bern. in sent.

S. PETRUS ABBAS. 14. Martii.

QUàm Alites beati familiares PETRO, & PETRVS vicissim illis fuerit, ex iis quæ narrabimus, perspicies. Tyro in religiosâ Claræ Vallis disciplinâ cum esset, obdormiscentis inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratissimus PETRO monitor. Aliàs cum avocante capitis dolore à sociis abutum è templo pararet, illa repente verba à Cæli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo DEVM,* atque his voculis delinitus, facile dolorum oblitus est, perrexitque etiam ipse cœptas preces decantare, etsi inter olores illos non malè anserem se putaret. Illud amœnissimum spectaculum oculis PETRI accidit, videre, cum messis tempore labori cum suis intentus esset, Virginum Reginam MARIAM geminâ altera Maria (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per segetes ambulare, sociisque

cuiusque & laborantibus solamen addere, & fatigaris sudorem abstergere illâ manu, quâ, cum lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cum ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterū beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

Reverà illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcunque aliud delectare potest, molestum. S. Bern. in Epist.

S. LONGINUS M. 15. Martii.

LONGINVM ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendentem, & tumulo condito, custodiæ causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, auctori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cum facinus jam suum, ac Judæorum videret, pectus planxisse, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisse. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumque ingens sibi conflasset, Capadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit Judæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit,

16. Ma
fendit
habet
LONG
frang
LONG
vestes
Pilato
tum ab
ut sep
matro
tum th
reperi
Don
erga m
me pass
tra prop
re refu
mine la

AB
p
cenda
do se
initiat
quàm
Sub ha
ris, me
cum f
luta, c
cælo i
& scop
nitus e
rictu c